



**IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)**



**Photographic
Sciences
Corporation**

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503

ES 28
ES 32
ES 25
ES 22
ES 20
ES 18

**CIHM/ICMH
Microfiche
Series.**

**CIHM/ICMH
Collection de
microfiches.**



Canadian Institute for Historical Microreproductions / Institut canadien de microreproductions historiques

11
10
ES 12
ES 14

© 1985

Technical and Bibliographic Notes/Notes techniques et bibliographiques

The Institute has attempted to obtain the best original copy available for filming. Features of this copy which may be bibliographically unique, which may alter any of the images in the reproduction, or which may significantly change the usual method of filming, are checked below.

L'institut a microfilmé le meilleur exemplaire qu'il lui a été possible de se procurer. Les détails de cet exemplaire qui sont peut-être uniques du point de vue bibliographique, qui peuvent modifier une image reproduite, ou qui peuvent exiger une modification dans la méthode normale de filmage sont indiqués ci-dessous.

- Coloured covers/
Couverture de couleur
- Covers damaged/
Couverture endommagée
- Covers restored and/or laminated/
Couverture restaurée et/ou pelliculée
- Cover title missing/
Le titre de couverture manque
- Coloured maps/
Cartes géographiques en couleur
- Coloured ink (i.e. other than blue or black)/
Encre de couleur (i.e. autre que bleue ou noire)
- Coloured plates and/or illustrations/
Planches et/ou illustrations en couleur
- Bound with other material/
Relié avec d'autres documents
- Tight binding may cause shadows or distortion along interior margin/
La reliure serrée peut causer de l'ombre ou de la distortion le long de la marge intérieure
- Blank leaves added during restoration may appear within the text. Whenever possible, these have been omitted from filming/
Il se peut que certaines pages blanches ajoutées lors d'une restauration apparaissent dans le texte, mais, lorsque cela était possible, ces pages n'ont pas été filmées.
- Additional comments:
Commentaires supplémentaires:

- Coloured pages/
Pages de couleur
- Pages damaged/
Pages endommagées
- Pages restored and/or laminated/
Pages restaurées et/ou pelliculées
- Pages discoloured, stained or foxed/
Pages décolorées, tachetées ou piquées
- Pages detached/
Pages détachées
- Showthrough/
Transparence
- Quality of print varies/
Qualité inégale de l'impression
- Includes supplementary material/
Comprend du matériel supplémentaire
- Only edition available/
Seule édition disponible
- Pages wholly or partially obscured by errata slips, tissues, etc., have been refilmed to ensure the best possible image/
Les pages totalement ou partiellement obscurcies par un feuillet d'errata, une pelure, etc., ont été filmées à nouveau de façon à obtenir la meilleure image possible.

This item is filmed at the reduction ratio checked below/
Ce document est filmé au taux de réduction indiqué ci-dessous.

10X	14X	18X	22X	26X	30X
<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input checked="" type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
12X	16X	20X	24X	28X	32X

The copy filmed here has been reproduced thanks to the generosity of:




McLennan Library
McGill University
Montreal

The images appearing here are the best quality possible considering the condition and legibility of the original copy and in keeping with the filming contract specifications.

Original copies in printed paper covers are filmed beginning with the front cover and ending on the last page with a printed or illustrated impression, or the back cover when appropriate. All other original copies are filmed beginning on the first page with a printed or illustrated impression, and ending on the last page with a printed or illustrated impression.

The last recorded frame on each microfiche shall contain the symbol \rightarrow (meaning "CONTINUED"), or the symbol ∇ (meaning "END"), whichever applies.

Maps, plates, charts, etc., may be filmed at different reduction ratios. Those too large to be entirely included in one exposure are filmed beginning in the upper left hand corner, left to right and top to bottom, as many frames as required. The following diagrams illustrate the method:



L'exemplaire filmé fut reproduit grâce à la générosité de:

McLennan Library
McGill University
Montreal

Les images suivantes ont été reproduites avec le plus grand soin, compte tenu de la condition et de la netteté de l'exemplaire filmé, et en conformité avec les conditions du contrat de filmage.

Les exemplaires originaux dont la couverture en papier est imprimée sont filmés en commençant par le premier plat et en terminant soit par la dernière page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration, soit par le second plat, selon le cas. Tous les autres exemplaires originaux sont filmés en commençant par la première page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration et en terminant par la dernière page qui comporte une telle empreinte.

Un des symboles suivants apparaîtra sur la dernière image de chaque microfiche, selon le cas: le symbole \rightarrow signifie "A SUIVRE", le symbole ∇ signifie "FIN".

Les cartes, planches, tableaux, etc., peuvent être filmés à des taux de réduction différents. Lorsque le document est trop grand pour être reproduit en un seul cliché, il est filmé à partir de l'angle supérieur gauche, de gauche à droite, et de haut en bas, en prenant le nombre d'images nécessaire. Les diagrammes suivants illustrent la méthode.

27

BREVIS EXPOSITIO

CAUSAE ET APPELLATIONIS

A RMO EPISCOPO MARIANOPOLITANO**AD SANCTAM R. SEDEM**

IN CAUSA NOSOCOMII CATHOLICI

A MONIALIBUS S. JOSEPHI

PER CONTRACTUM COMMISSI CURAE

MARIANOPOLITANAE SCHOLAE MEDICAE

ET LEGITIMA POSSESSIONE PERSEVERANTEM

AB ANNO 1850 AD ANNUM 1883

*Marianopoli, in Canada inferiori, 17 maii 1883.**(Reservatum)*

Si quis putaverit, se a proprio Metropolitano gravari, apud primates Dioecesos, aut penes universalis Apostolicae Ecclesiae Papam iudicetur....

Cap. Si quis, qu. 6.

Ad Romanam Ecclesiam (maxime ab oppressis) est appellandum et concurrendum quasi ad Matrem, ut Eius uberibus nutriatur, auctoritate defendatur, a suis oppressionibus relevetur, quia non potest nec debet Mater oblivisci filium suum.

Con. Ad Romanam, Cap. 2, qu. 1.

Apostolica Sedes hoc habet praecipuum, ut non pigeat revocare, quod a se forte deprehenderit fraude elicitum.

S. Bernard. ep. 180, ad Innoc. II.

Confer. Bened. XIV, de Synod. dioec. l. c. 8. n. 2., etc.

I.

Compendium facti.

1. Marianopoli in inferiori Canada extat, a Coloniae primordiis, claustralium Religiosarum Institutum, cuius finis praecipuus est (praeter sui perfectionem) aegrotantium corporum animarumque, in Nosocomio ad Moniales pertinente, curam sibi convenientem sedulamque suscipere. Gallice vocantur « Les religieuses Hospitalières de St-Joseph de l'Hôtel-Dieu. » Quae, anno 1850 exeunte, et Rmo tunc temporis Episcopo plene approbente, infirmis Nosocomii *gratis* medendi munus tradiderunt petenti Facultati Medicae, cuius nomen « L'Ecole de Médecine de Montréal ». Brevitatis causa, illas *Moniales*, hanc *Scholam* vocabimus.

2. Haec autem, illo ex tempore usque ad praesentem diem, privilegio, *sibi uni* concesso, pacifice, unice, cumque mutuo partium contrahentium utilitate et, quod consequens erat, operis incremento animorumque concordia, tum *facto* tum *iure* usa est. Nam, 33.ium annorum continentium spatio, eiusmodi facta conventionesque utrinque liberae intercessere, quae *onerosum* hinc inde, temporis lapsu, *contractum* probare videntur aperte, ut infra patebit. Idque eo vel magis quod, quidquid inter contrahentes conventum est, non modo fuit ecclesiastica Auctoritate approbatum, sed etiam civili lege sancitum. Moniales enim et Schola gaudent iure quod vocant *Corporationis*.

3. Horum omnium non sane ignarus Marianopolitanus Antistes, diebus tamen 19^a Aprilis et 7^a Maii huius anni, semel iterumque Moniales iussit, ut scripto et solemniter Scholae nuntiaret, eius Pro-

primates Dioecesos,

Si quis, ² qu. 6.

llandum et concur-
tate detendatur, a
blivisci filium suum.

,Cap. 2, qu. 1.

revocare, quod a se

c. 8. n. 2., etc.

fessores auditoresque *debere*, proximas post vacationes, locum cedere Lavallensis Succursalis Doctoribus eorumque discipulis, quibus *solis*, inquit, Nosocomium exinde patebit. Hoc autem praeceptum nihil aliud esse aiebat, nisi ipsissimam mentem firmamque voluntatem SS. Patris Leonis XIII, in suo Decreto expressam, dato die 27^a Februarii anni huius.

4. Inter angustias religiosae *obedientiae* et naturalis iustitiae sibi pugnantium Moniales positae, enixe saepiusque exorarunt Antistitem, ut aptiori dignaretur modo utriusque virtutis iura componere; ne *supra vires* plura, eaque gravissima, damna contrahentes subire cogeret; neve semet, suas in Domino Filias, Religionem ipsam maximo exponeret discrimini et populum scandalis, si re ad civile Tribunal adducta, hoc contra Episcopum sententiam (ut certum videtur) proferret, et inde ansam hostes Ecclesia sumerent gravius eam impetendi, ut saepe factum est.

5. His aliisque rationibus et precibus frustra infelicitate datis, Monialium Capitulum, pro suo officio, *praecepto paruit*, illudque Scholae nunciavit, die 7^a Maii. Quod, ut erat expectandum, Scholae authentica sequuta est *protestatio*, pro damnis praesertim e praecepti executione secuturis. Interpellatione accepta, Capitulum perquam sedulo cavet ne res in deterius, ut minabantur, verterent, effecitque pro viribus, ut lis a Schola non ad civile tribunal deduceretur sed potius ad ecclesiasticum, ad Episcopos nempe Provinciae, qui Lavallensi quaestioni componendae ab Apostolicis Decretis fuerant deputati. Ipsum vero Monialium Capitulum *sui iuris* esse putavit, ad Romanam Epp.m et Regg.m Congregationem E.morum Cardinalium a proprii Ordinarii Mandato *appellare*. Quam viam ideo etiam inivit, quod eius rationes, preces et iura, tribus abhinc annis perquam humiliter scripto oblata Episcopo, et per eundem ad S.am Congregationem de Prop. Fide transmissa, quo destinabantur (ignota de causa) non pervenerunt; ut patet ex Epistola Emi Cardinalis Simeoni (die 25 Febr. 1880) et ex alia Superioris Monialium (d. 18 Mart. 1880), ad Episc.m datis.

6. Absit autem a Monialium omnium et singularum mente animoque, ut vel temporis momento velint a spiritu et littera *Decretorum omnium Apostolicorum* cogitatione, nedum corde, discedere; necnon ab eiusdem S. Congregationis de Prop. Fide *Constitutionibus*, Lavallensem Succursalem spectantibus. Contrarium enim

evide
Episc
ut ad
comp
Moni
inter
Pare
quide
amor
anim
iis a
EEP.
sese
in Sa
E.mi
perte
enim
metu
quide
aiunt
ex tu
serve
prim
quam

RR.n
posit
stitia
loci),
pnda
scrip

evidenter patet ex earum epistolis aliisque documentis, vel ad R.mum Episcopum vel ad Scholam missis; quam minis etiam hortatae sunt ut aliquam tandem animorum coniunctionem, vel saltem aequam compositionem, cum altera Facultate deveniret. Neque domum ipsa Monialium *appellatio* ab Ordinarii decreto, seu Decreti Apostolici *interpretatione* aliud petit vel innuit, quo audeant conqueri de Parente in D.no dilectissimo, quem, inter spirituales Filias merito quidem non affectu postremae, maxime verentur, ut par est, et amore prosecuntur. Sed hac *una super re* (et iustitiae causa) ab uno animarum suarum Parente severius (*sicut* ~~in~~ *invito*, *imo* coacte...) cum iis agente, ad alios eosque altiores, Patres scilicet E.mos S. Congr. is EEp.m et RR.m, Moniales, pro suo iure, sed humillime et *ultimo* sese convertunt. Idque animo iam nunc paratissimae, ut quidquid in Sapiencia ^{sua} de iustitiae iuribus hac in re decernere dignentur E.mi Iudices, idipsum statim pro Monialibus sit suprema et certa perterritae suae consentiae lex, tanquam a Deo ipso. Fatentur enim miserae, duplicem, donec res componantur, pati ab extrinseco metum eumque gravissimum, imo vim et minas utrimque; hinc quidem maximarum spiritualium poenarum, *ex inobedientia*, ut aiunt, ipsi SS. Christi Vicario; inde vero damnorum omnis generis, ex *iustitiae* iuribus laesis, et a civili etiam lege vindicandis nisi serventur. Hinc absoluta *appellationis necessitas*, ad quam nunc primo Confugiunt Moniales, ut ex religiosi Instituti annalibus plus quam bis saecularibus constat.

Quaestionis propositio.

7. Humillimis igitur datis precibus, a S. Congreg. e EE.m et RR.m decernendum quaeritur. — An Monialibus liceat, in casu proposito, Rmi Episcopi praeceptum executioni mandare, salva iustitia? — Huic quaesito plures iuris civilis periti (saltem 7, e primis loci), documentis inspectis et re mature perpensa, *uno ore respondent negative*. Quorum rationes fusius videre est in singulorum scripto datis authenticis sententiis. Summam haec dabimus.

II.

Quaestionis civilis synopsis.

8. *Facta et conventiones* plures legitime initae, et per 33.ium annorum spatium ab utraque auctoritate confirmatae, probant veram utrinque *obligationem*, a qua neutrae parti resilire licet, altera repugnante, quin ad gravissimorum damnorum reparacionem lex civilis resilientem cogat. Episcopi vero praeceptum, de contractu solvendo, nec sufficere aiunt, nec a lege ratum haberi. Nam:

9. *Factorum praecipua* haec sunt: 1° Vetere Nosocomio cum Monialibus in longe ampliolem aptiolemque locum migrante (anno 1860), privilegium, quo quidam e Scholae Doctoribus fruebantur, toti Scholae petenti concessum libenter fuit, quibusdam onerosis conditionibus positis, nullaque alia retributione nisi Nocosomii usu, ad Doctorum et scientiae profectum. — 2° Nunquam alii nisi Scholae DD. es in nosocomium admissi, vel nonnisi Scholae Praeside permittente, qui proinde aliquando, tanquam suo iure utens et Monialium Superioro id fatente, Doctorem, qui nosocomii usum petierat, admisit et inter suos adnumeravit, alium vero ut extraneum repulit. — 3° Idem, vel quivis Scholae Doctor nosocomio inserviens, infirmos advenientes libere excipiunt, vel sanitati restitutos, pro suo iudicio, dimittunt. — 4° Ad maiorem utriusque contrahentis utilitatem aetiusque vinculum, anno 1872, Schola solum nosocomio finitimum a Monialibus emit, aedificium magni superstruxit utrique parti aptissimum (sed ad alios fere usus ineptum), pecunia a Monialibus mutuata, cum fenore 6 et 7 %, et debito pertingente ad fere 100,000 francorum. — 5° Alia demum complura quotannis evenere et enumerari possent facta, quae mutuam in dies animorum voluntatem et concordiam, imo necessitudinem ac contractus perennitatem evidentem praeseferunt. Nec mirum, utrinque cura, sedulitas, aemulatio, quotidiana et longissima consuetudo, maxima denique utriusque utilitas operisque incrementum, sponte veluti sua, contractui vim in dies addidere. Hinc siquidem Doctores, omnes catholici, qui vel ab ipsis Scholae exordiis, per 40 prope annos religiosi Domibus urbisque pauperibus *gratis* medebantur, quidam

pecunia etiam invabant; ii inquam, infirmis Monialibusque nosocomii gratuitam assiduamque, per idem ferme tempus, operam navabant: inde vero magnus tum ægrotantium (ad 300), tum discipulorum (ad 140) confluentium numerus, tum imprimis Monialium religiosa diu noctuque vigilantia et charitas, domus ordo nitorque, etc., omnia hæc præclaram utrisque exhibebant opportunitatem sibi, non minus ac scientiæ et catholico nomini; honorem conciliandi augendique.

10. Quod ad *conventiones* spectat, generatim eo omnes tendunt, ut quam maxima infirmorum corporum animarumque cura habeatur, ut religiosi severique Instituti regulæ, nec non Monialium plene, in nosocomii rebus gerendis, libertati et a DD.bus independentiæ omnino prospiciatur, ut demum omnia in SS. Religionis catholici, inter æmulos heterodoxos, bonum vertant. *Speciatim* vero Doctores tenentur: 1° alios a Scholæ Professoribus nec in nosocomium admittere, nec etiam inter suos annumerare insciis aut invitis Monialibus — quibus imo: 2° plane integrum est quemvis ex ipsis DD.bus iam admissis reiicere, semel ac id æquum putent (quod ius in præsens etiam facto unius e Scholæ DD.bus comprobatur) — nec non. 3° Sororibus infirmis moderari, ægros aut convalescentes Ecclesiasticos, laicos viros aut mulieres altioris conditionis, discipulos, orphanos, etc., in separatis domus partibus degentes, excipere et curare independenter, si velint, a Scholæ medicis. — Qui 4°, eorumque auditores, in infirmorum visitatione, practicæ Scholæ, operationibus chirurgicis, etc., permultis subesse debent, a Monialibus præscriptis aut præscribendis regulis, iisque medicæ professioni incommodis, quas tamen religiosa et claustralis identidem iureque exigit disciplina. Qua in re Moniales liberrime agunt, neque unquam adhuc, vel in minimis, Scholæ obstitit. — 5° Doctores olim tenebantur in solidum, nunc quisque seorsim et pro rata, Monialibus solvere centum fere francorum millia, cum fenore 6 et 7 per %, pro Scholæ aedificio. Quo debito liberari, non nisi ex alumnorum minervali et clientium, extra et propter nosocomium, in dies crescentium numero, sperare datum est. Eoque accedit, quod sine nosocomii cura neque civilem existentiam, ex regionis lege habere Scholæ potest.

11. His aliisque Scholæ oneribus nullum fere aliud ex *parte Monialium* respondet, nisi ut ius nosocomii curam omnem habendi, ab initio Scholæ traditum *sola servet*. Nihilominus, ex æquo et bono atque in plenæ fiducia pignus, Moniales libere se iure pri-

varunt communes infirmos excipiendi vel dimittendi, incio vel invito Doctore medente; apta Professoribus discipulisque in nosocomio loca, suppellectilem, artis instrumenta, etc., ad Scholae fines suppeditarunt; totam denique nosocomii prosperitatem infirmorumque cuiusvis nationis curam a seipsis in solam Scholam vadem reiecerunt. Utraque demum pars contrahens his aliisque pluribus minoris momenti, sed scripto pactis conditionibus, stare se obligavit, donec vel mutuo liberoque consensu, vel gravibus de causis claustrum regulam spectantibus, separantur, vel separari cogantur, si forte (quod Deus avertat) per ecclesiasticam Auctoritatem, et authentice, Schola declaretur *S. Matri Ecclesiae rebellis*. Quae omnia plane comperta, plenaque hactenus fuere Ordinarii Auctoritate sancita.

12. Inde est quod omnes, ut diximus, iurisconsulti deducant veri nominis obligationem ex oneroso iustitiae contractu; simulque (ubi iura laedantur) gravissimorum damnorum reparationem, ex lege faciendam. Quidam haec enumerant, quae satis est hic breviter innuere, quaeque ad duplex notum reducuntur caput, *damni emergentis et lucri cessantis*, tum pro Schola tum pro Monialibus. Scholae damnum desumitur: ex gravi debito erga Moniales, mediisque deficientibus ad illud solvendum: ex aedificii valore et usu ad alia, eo loco, fere nullis, ex iure Corporationis, docendi aliisque civilibus privilegiis, quae Schola pereunte perirent simul. Lucrum vero, in praesens satis amplum, praesertim ex discipulorum ac clientium in dies augmentum numero, in posterum cessaret penitus. Quibus accedit magnum Catholicae Scholae *dedecus*, post 40 fere annos extinguentiae, idque iussu ecclesiasticae Auctoritatis, agentis nomine, ut dicitur, ipsius SS. Patris Leonis XIII. Quae omnia si acciderent, maior Scholae Professorum pars (eorumque antiquiorum magisque egenitium) in gravem cum suis adducerentur necessitatem. De Monialium damnis inferius.

13. Ipsi iuris civilis periti, a Rmo Episcopo interrogati, non aliam ab hac protulerunt sententiam. Imo vero haec iamdiu a longe *alliori Auctoritate* verbis et re prolata, *factoque* ab ipsa Lavallensi Succursali admissa fuit. Nam 1° sex abhinc annis E.xmus D.nus G. Conroy, Sanctae Sedis Legatus, qui vehementer Moniales urgebat ad Lav.em Facultatem in nosocomium excipiendam, perveutis tamen documentis, *fessus est Monialium Superiori*, contractus initos eas inter et Scholam scindi iure non posse invitis partibus. Quare mitiorem exinde iniiit viam, ipsamque Lav.em Succursalem inire coe-

git; v. gr. quum *iussit* ut Schola integra tanquam *Corpus* et ut Lav. sis Succursalis haberetur, etc. Haec authenticis documentis et iuramento, si opus sit, firmari possunt. 2° Triennio post, ipse Emus Cardinalis *Simeoni*, licet documenta a Monialibus per Episcopum Marianopolitanum ei transmissa non legerit (quaeunque demum de causa), ius Scholae tamen agnovit, quum a Monialibus aulam 50 tantum infirmos capientem, in usum Lavallensis Succursalis petiit « quin ullum, inquit, Scholae nocumentum adveniat, quae reliqua « nosocomii maiori parte uti libere potest » (25 Febr. 1880). Ex quo aperte patere videtur, amicum foedus inter utriusque Facultatis D.D.es, vel foederis initium, ab Emo Cardinali urgeri, non vero *contractus scissionem*, eoque minus Scholae mortem. 3° Quid quod Lav. sis Succ. ipsa *facto* demum ius Scholae ac Monialium agnovit, quum foedere aequisve conditionibus dure, de more, reiectis, Scholam tamen nosocomio eicere non est ausa, sed aliud sibi conquistavit *apud protestantes*, novoque catholico nunc utitur, cuius nomen « L'Hôpital Notre Dame »?

14. Postremo, si adhuc, post eiusmodi facta et contractus, ali- quod forte dubium superesse videretur; nonne sola iuri probando sufficeret tam *longa praescriptio*, non modo omnibus vestita legi- timis conditionibus, sed (quod pluris est et mirum!) omnia adhuc probante ipsa Auctoritate ecclesiastica, quae nunc obstat, et con- ventiones omnes admissi contractus scindere per praeceptum con- tendit?

15. Unica, ut dictum est, huius praecepti et agendi modi a Rmo Episcopo affertur ratio Monialibus, h. e. SS. Patris Leonis XIII Decretum. Sed de hoc inferius; praesertim quum civilis iuris periti de eo quidquam dicere non sint ausi. De Rmi tamen Episcopi prae- cepto sententiam, suos intra limites, tulerunt; atque in hoc omnes consentiunt: illud *non esse rationem sufficientem* scindendi con- tractus. Hic enim, ex dictis, est undequaue iustus, ac proinde ini- vitis partibus scindi nequit; nisi dicatur, Superiorem quod est ini- stum iubere posse, obedientiam iustitiae praeponi eamque impune laedere. Neque alia procul dubio a iurisconsultorum foret *civilis tribunalis* sententia, si ad illud res deduceretur, quod simul, aut vi non sineret Scholam iure et loco deturbari, aut ad damnorum omnium reparationem Moniales cogeret, vel Episcopum ipsum. Quot autem quantisque id periculis, scandalis, imo etiam ipsius catholicae communitatis damno verteret nemo est qui non videat. Cui gravis

simo sane incommodo utinam, tota hac in re, satis ab omnibus fuisset provisum! huc non essent res adductae. Mirum vero quod Moniales prae primis ei mature prospicere et, suis pro viribus consulere conatae fuerint! Scholam enim hucusque non modo in officio continuere, sed novam nuperrime (19 Mart. 82) conditionem contractui addidere, Scholam que admittere, licet haerentem (laqueum sibi parari suspicata) suaserunt; quae scilicet conditio S.am Matrem Ecclesiam et Superiorum ecclesiasticorum *Auctoritatem* simul spectat. Verum hac de re, deque Scholae *affiliatione* Universitati protestanti *Victoriae*, aptius suo loco.

III.

Brevis moralis ²questio.

16. Quaestioni et casus resolutioni secundum legem necdum civilem sed et naturalem, plane consentire moralis doctrina videtur. Non enim duplex datur iustitia et obligatio, neque utriusque vincula cum contrahentium damno, iis invitis obedientia solvere unquam valet. Deus ipse iniustitiae culpam non nisi reparatione, saltem voto, facta remittit, iuxta illud S.i Augustini. « Non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum. » An Eum dicemus velle aut approbare praeceptum iubens iniuste agere? Nihilominus, ut supra dictum est, Rmus Episcopus ad Moniales scribens contendit, contractus huius solutionem esse ipsius Summi Pontificis, in Decreto 27^a die Febr. dato, firmam voluntatem, imo *praeceptum in virtute s. obedientiae*. Cui sententiae consonat Decreti eiusdem *interpretatio* ab eodem Episcopo addita in sua Pastoralis Epistola ad Clerum et Fideles Diaeceseos, die 25^a Martii 1883. Ait enim B.mum Patrem: 1^o prohibere quemvis quicquam *moliri*, etc.; 2^o iubere *opem afferre*, etc.; 3^o *utrumque* vero in virte s. obedientiae (toujours en vertu de la sainte obéissance).

17. En autem Decreti verba, quae nos spectant. « Sanctitas sua « districte mandavit *in virt. s. obed. ae* omnibus fidelibus... ne contra « Lavallensem Succursalem audebant aliquid *moliri*, aut quavis ratione eam impugnare, sed *potius* ut... omnes communi studio « eidem Institutioni provehendae opem praesidiumque pro viribus « afferre nitantur. »

Antequam Rmo Episcopo respondeamus, iterum plene ac humillime fatemur cum Monialibus, nos SS. P. tris Decreto, tum quoad litteram tum quoad spiritum, toto corde adhaererẽ. Imo vero, vel *solum factum*, si constet, Summi Pontificis, vel S. Rom. Congreg. is, auditis partibus; iubentium contractus initi solutionem, fore pro Monialibus *ultimam* iusti normam. Sed aliud est adhaerere *Decreto*, aliud vero eius *interpretationi*, etiam a tribunali, sed inferiori, datae; praesertim quum rationes oppositae evidentes saltem appareant. Quod si quis tali in casu ac re gravissima, ad superiorem humillime eamque legitimam appellet Auctoritatem, suo sane utetur iure; neque ideo nota urendus (quae aliquot abhinc annis passim vel optimis civibus appingitur) *rebellionis* ipsi Sanctae Sedi, Christi Dei Vicario, S. M. Ecclesiae, etc. Quod an levitati et imprudentiae, an malorum artibus, an utrique tribuendum, ad nos non spectat affirmare. Sed illud certum est, haec et similia palam et saepe circumferri indebite, magno cum populi scandalo et inimicorum christiani nominis emolumento; et quod consequens est, cum SS. Religionis damno et contemptu. Suprema enim Auctoritas saepius quam par est in medium allata, facilius graviusque impetitur.

18. Decreto itaque plene admissio, quod a Rmo Episcopum attinet, *generatim* et veluti a priori respondendum videtur: 1° Illud applicare contractui qualem supra exposuimus, huiusque dissolutionem ab eo iure deducere, videri rem non modo incredibilem sed et absurdo proximam! Quid igitur erit asserere, ipsum Christi Vicarium, qui est veri iustique norma, *re cognita*, formaliter velle et iubere contractum talem abrumpi? idque (mirum!) in *virt. s. obedientiae*? Nonne vel sola hypothesis dicenda adversus SS. Patrem maxime iniuriosa? Talem ferme praedicant quotquot apud nos honesti vivi rem norunt, et haec tamen audiunt: talem et contrahentes *in conscientia* arbitrantur ita, ut Legislatorem ipsum adire et interpellare sint ausi. — 2° *Speciatim* vero, quoad verba Decreti, libenter fatentur: a) sub gravissima poena damnari eos, qui contra Lavallem sive Universam sive Succem quippiam machinantur, vel eas quavis ratione (*iniusta* scilicet) impugnant. Secus enim dicendum, easdem vel nunquam posse iniuste agere, vel, si id forte accidat, non posse ad tribunal traduci. Quis autem haec dicat? Quis itaque contra easdem *machinari* audeat dicere illos, qui ab iniusto aggressore sua iura legitima, evidentiã, diuque possessa defendunt; idque coram altiori ecclesiastico tribunali? — b) SS. i Patris Decretum vehementer quidem hortatur omnes (iubet etiam si velis) po-

tius iuvare *pro viribus* Lav. em Univ. em et Succursalem. At quoti-
potius est (h. e. melius). quam longissime differt ab eo quod est
faciendum sub paena gravissimi peccati et in *virt. s. obedientiae*,
ac si res esset necessaria ad salutem! Quod autem *supra vires* illud
sit quod ab Episcopo iubetur, praeter iustitiam quae votat unquam
iura laedi, haec ex dictis eiusmodi sunt, ut iis pereuntibus Schola
pereat necesse est; Moniales autem fero. Nam, praeter gravissima
damna superius enumerata, *triplici*, si ita loqui fas est, lethali vul-
nere conficerentur; regulam claustralem consuetudinem vetustis-
simam (220 annorum) plenamque a laicis praesertim DD.us inde-
pendentiam graviter sauciant; sed de his suo loco. Quis interim
dicat, quemvis ad semet perimendum teneri, vel oum *peccare* si
vitam defendat? — *c)* Discrimen evidenter agnoscendum *negativam*
inter praecepti partem et *positivam*; hanc omnes docent non
obligare cum gravi incommodo; quanto minus, cum gravissimo,
quocum neque praecepta positiva Dei obligant, nisi quibusdam in
casibus, quum v. gr. vel ad negativum praeceptum vel ad salutem ne-
cessaria reducuntur. Num eiusmodi est auxilium Lavall. Succursali
exhibendum? — *d)* Vulgatissima sunt principia — nemo tenetur
ad optimum — verba legis huiusmodi stricte interpretanda — odia
restringenda, etc. — *e)* Si denique Rmi Episcopi *interpretatio* ur-
geatur, omnia igitur Succursali immolanda, etiam iustitia! divites
omnes tenerentur *totum* id quod pro viribus possunt tribuere Suc-
cursali; imo vero Canadenses reliqui, nemine excepto, in eam neque
potentem conferre quidquid vires stricte non superat, eamque vel
directe vel *indirecte* (ut asseritur) iuvare potest, v. gr. agros, re-
ditus, brevi, bona quaevis ei utilia! Haec autem omnia, aliaque
sexcenta, *sub gravi*, nomine Sanctae Sedis, ac in *virtute* obedientiae
Ei debita, dicuntur iuberi!

IV.

Quaestionis pars Canonica.

19. — Sed instat Rmus Episcopus. Ait enim: 1° firma est vo-
luntas S. Pontificis *unicam* in ecclesiastica Provincia esse debere
catholicam Universitatem, et unicam Marianopoli Succursalem La-
vall. em nempe iam canonice erectam. — 2° Idem SS.us Pater, post

Pium IX, felicitis memoria, expresse prohibet, catholicas Facultates iuris (1). Nulla iuris civilis catholica Facultas extabat anno 1876, nec adhuc extat!) et medicinae Protestanti Univ. manere adnexas per eam quam vocant *affiliationem*: itemque catholicos iuvenes vel illas vel hanc frequentare. — 3° Schola proinde eiusque discipuli Decretis Apostolicis repugnantes ac Succursalem adversantes, hoc ipso sunt S. ae Matri *Ecclesiae rebelles*; a fortiori vero si ius suum prosequi et tueri Schola velit coram civili regionis Tribunali. — 4° Hinc *contractus* cum Monialibus *abrumpitur*, quae hanc explicite conditionem apposuere.

Quaestio haec Scholam primo et *directe* spectat; sed Moniales etiam attingit non modo *indirecte*, veluti per consequens, verum et *directe*. Nam, supposita ad momentum (argumentationis causa) *contractus* solutione, sunt adhuc *Monialium iura omnino in tuto ponenda*. Liceat itaque, ad plenam, quoad eius fieri potest, quaestionis cognitionem, non nihil et perquam breviter innuere de Scholae *affiliatione* protestanti Univ. ti, deque Scholae *rebellione*.

20. — Quoad 1. am a) Schola Episcopi instantiam primam et alteram libenter admittit; ac ea qua par est animi demissione Decreta Pontificia excipit. — b) Quod si *pro tempore* protest. i Univ. ti adhaeret, id *solum* est ut vivere adhuc possit, et *donec* aliquid (secundum ipsa Apostolici Legati statuta) ei tribuatur, quod eam *iniuste perire* non cogat. — c) Haec eadem ratio est cur (non rebellis more sed humillime) saepius ab ipsa ecclesiastica Auctoritate petiit *affiliationem* ipsi Lavallensi Univ. ti, *postquam* hanc iam ingressa, ita iubente Exmo Apostolico Delegato, violenter eiecta fuit a Rectore Univ. is; qui pluries verbo et scriptis fassus est se malle, Scholae Doctoribus liberari. — d) Hi autem *etiam nunc* parati sunt iterum in *Succursalem ingredi*, vel iisdem conditionibus ac antea, vel similibus, sed aequis. e) Tales autem certe non sunt, quae *specie* quidem Scholam ut *Corpus* admitterent, *ne* tamen *vera septem* antiquiores et magis egentes, e decem Doctoribus, *vel ingredi* prohiberent iniuste, tres vero reliquos exciperent quidem sed relictos eiusdem Rectoris arbitrio, qui omnes antea eiecerat. — f) His accedit, quod debito erga Moniales (100,000 franc.) *omnes* tum reiecti tum ita admissi, singillatim gravati manent; dum DD. es Succursalis novae ac violenter a solo Rectore constitutae (homines novi fere omnes et undique corrogati), Scholae Doctorum *iniuste eiectorum* locum usurparunt. Quis, quaeso talia iusta dicat? Quisve Scholam, *aequioribus conditionibus* Episcopo

obedire paratam, rebellem vocet? — g) Huius demum affiliatio protestanti Universitati (quam adeo exaggerant adversarii, quamque Schola diffiteri non renuit) *materialis* tantum est non formalis. Nullus enim ex ea protestantium *influxus* aut vitae consuetudo, nulla, ut in Europa, fidei professio, aut alius quivis *religiosus ritus*; nil, brevi, quod catholicum vel Doctorem vel iuvenem dedecet, qui *diploma* ipsum directe a Schola accipit; haec autem *solum* pro unoquoque diplomate *mittit* Victoriae Universitati, *in alia civitate degenti*, 100 francos, loco 150, quos Lavallensis Univ.as percipit, et a Schola ipsa percipere potest, si velit. Sed haec *numquam* in suum sinum Doctores protestantes, vel secretis societatibus addictos, excepit, nec unquam pariter docuit illicitos abortus, infanticidium, craniotomiam, etc., quae Doctores heterodoxi passim docere solent. Num idipsum de se Lavallensis Universitas vere affirmare queat? *Materialis* igitur *tantum* est praesens Scholae affiliatio, haud secus, imo vero minus adhuc, ac ea quae permittitur catholicis Facultatibus et Collegiis in Canada Superiore. Ceterum, si de *nomine* sermo sit, nonne ipsa Lav.sis Universitas a Londinensi quadam *affiliationem* iamdiu et ante Scholam petiit, obtinuit, deque ea gloriatur? Erubescet igitur Schola de tanto crimine, patrato *solum*, ut vivere ei liceret, idque *postequam* a Lav.si Univ.e saepius affiliationem petierit (etiam ante Pontificia Decreta), sordidamque semper repulsam tulerit? Et haec *sola* causa fuit, cur Schola tandem a protestantibus affiliationem petierit, ut viveret. Haec forte, Romae, adhuc ignota sunt!

21. — Hinc 3^a et 4^a obiectio, seu machina inventa ad Scholae destructionem, sua ruere mole videntur aperte. Quomodo enim, post dicta, *Sae Matri Ecclesiae rebellis* Schola dici potest? Rebellis sane ille non est, qui ad legitimam Auctoritatem confugit, de iuribus laesis rite queritur, rogat ut Causam cognoscat, expectat denique humiliter, ut *Causa cognita*, iudex sententiam proferat. Idem, a fortiori, non erit *Ecclesiae*, vel *Pontifici Supremo*, rebellis, si huius Auctoritati nec formaliter nec materialiter unquam obstitit, sed *tantum* causam, proximum Superiorem spectantem, ad altioiorem, vel (si non audiatur) ad altissimum etiam referat, *pro suo iure*, ex animo tamen paratissimus, Huic rem cognoscenti et iudicanti plane acquiescere. An pluribus opus est ad rem conficiendam?

22. — Sed praestat de civili Tribunali, in hac praesertim regione, perpauca innuere. — a) Ab eo adeundo, Monialium opera

prae
quom
reali
— c)
vel i
siasti
tum
passi
tur,
quaes
quam
lente
butae
patas
perso
maies
civile
non
avert
imo
tiae,
influx
eas i
et im
politi
praet
bellic
defen
Incre

supp
enim
adhu
vand
cum
cari
nam
gulis
dis,
auno

praecipue, Schola hucusque abstinuit. — *b)* Si *de iure* sermo sit, quum non agatur de *personali ecclesiastica immunitate*, neque de *reali sacra*, sed mere civili re, non videtur illud canonicè prohiberi. — *c)* Neque *hic* expectandum quod olim in catholicis regionibus vel iure vel facto servabatur; civilia nempe aut componi ab Ecclesiasticae Auctoritatis tribunali, aut a civili, ea permittente. — Imo *d)*, tum lege tum vetustissima consuetudine regionis, ecclesiastici heic passim a laicis pro huiusmodi litibus ad civilem iudicem traducuntur, et vicissim. Cur igitur id Scholae non liceret? — *e)* Quid quod quaestiones ipsae de decimis, funeribus aliisque *ecclesiasticis* potius quam mixtis, lege favente, et ecclesiastica loci Auctoritate aut silente aut consentiente, civili iudici pluries apud nos fuerunt attributae? Satis sit causas innuisse (ab hominem vel loci nomine nuncupatas) *Guibord, Sorel, Bonaventure, Charlevoix, etc.*, in quibus sacra personarum rerumque immunitas, ipsa Eccl. a Sacramentorum divina maiestas, a *catholicis et Lavallensis Universitatis Professoribus* ad civile tribunal deductae, perperam etiam indicatae pollutae que fuere non sine universi populi Canadensis scandalo. Qui hoc praecavere avertere, vel saltem obviare, pro munere, poterant, obmutuere; leges imo quasdam (v. gr. *matrimonii inter cognatos, clericalis influenzae*, quam dicunt *indebitam, etc.*) quae, ecclesiasticae Auctoritatis influxu, facile poterant e codice expungi a catholicis legislatoribus, eas inquam, effecere e converso ne delerentur, causati protestantium et impiorum clamores fictos, dum veris (inscii quidem vel inertes) politicorum hominum artibus inserviebant. Haec igitur omnia silentio praeteribunt, patientur, fovebunt etiam; Scholam autem crimine rebellionis ipsi Sae Ecclesiae damnabunt, si sua et Monialium iura defendat apud iudices ecclesiasticos, vel etiam civiles, quoad civilia? Incredibilia haec sane videntur, sunt tamen vera!

23. Ultimo loco videndum restat, qua ratione Scholae rebellio supposita Moniales etiam *directe*, ut diximus (n. 20), attingit. Scholae enim si quando Lavallis Succursalis succedat, Monialium iura omnia, adhuc intacta et ab illa rite servata, ab hac quoque sancte servanda, ut conditio *sine qua non*. Ea iura, paucis, conventionibus cum Schola initis continentur; sed *charitatis* causa, ad tria revocari possunt capita: h. e. ad religiosi Institutu regulam — ad plenam a DD. bus independentiam in nosocomii ordine, disciplina, regulis omnibus; imo et in ipsis Doctoribus admittendis aut reiiciendis, ut antea cum Schola. — ad consuetudinem pervetustam (220 annorum) in utriusque iuris prioris usu. Perpauca de singulis:

1° Quoad *regulam*, evidenter patet, ei se debere Doctores aecomodare, non vero contra. Quod si quaedam forte oriatur difficultas, *solius* erit Episcopi de ea iudicare eamque componere. — 2° Idem de *independentia* dicendum, tum a Succursalis DD.bus, tum a quovis alio ad hanc vel ad Quebecensem Univ.em pertinente. Non enim Moniales earumque Nosocomium Succursali egent sed e converso; neque illis leges imponi queunt ac si *affiliationis* vinculis tenerentur. — Hinc 3° *consuetudo*, qua a 220 annis Moniales gaudent, plenissimae, quoad nosocomium libertatis, praesertim admittendi reiiciendive Doctores, omnino ac antea, inter praecipua et inalienabilia iura accenseri debet. Et, siquidem novos inter suos DD.es Succursalis cooptet, suo quidem libere utatur iure, sed suo quoque procul dubio Moniales uterentur, si hos vel quemvis alium e prius admissis reiicerent, quum id aequum fore indicabunt. Idque eo vel magis, quod Moniales verentur, Marianopoli quoque, aliquando saltem, non impossibile fore quod Quebeci accidit et adhuc videre est; Doctores scilicet protestantes sectisque addictos, inter catholicae Universitatis Doctores connumeratos. Quod eiusdem Universitatis Rector nuperrime (in quaestione cum D.e Landry a 30 April, ad 7 Maii 1883) nec malum nec mirum esse asseruit « adeo ut nec im-
« pediret quominus Romae canonica Universitatis Lavallensis erectio obtineretur! » etc. Hunc autem agendi modum illi comparabat, quo catholicae familiae, etiam religiosae, Doctoribus heterodoxis utuntur passim: quasi idem esset eos pro lubitu advocare, ac ad eos admittendos obligari! Si ei idem est, ipse viderit, Monialibus tamen non ita; quae insuper iure putant aptissimos Medicos inter catholicos Canadenses facile inveniri, quin aliis egeamus; hosque illis praeferre, probrosam nimis esse, apud nos, regioni aequae ac Religioni iniuriam. Ceterum, quaecumque tandem futura sit Scholae cum Succursali compositio, vel quivis causae praesentis exitus (quem sane Moniales pe-roptant precantur que fore Deo SS.moque Jesu Cordi gratum, Canadensi Ecclesiae populoque honorificum, Nosocomii denique infirmis, seu Christi membris, perutilem); illud *pro certissimo* habendum, Moniales nunquam ulli e suis adeo validis iuribus nuntium missuras, nisi id iubente SS.o Dei in terris Vicario, quem Deus ipse diu sospitet.

2
libus
longis
reiicie
ut Sa
tificur
par es
vallen
salva
prosp
Hoc a
res ec
tae fu
conver
Docto
per ch
bus. I
nume
post S
propo
nes al
nullo
miner
prae
quide
ris co
do lori

2
libero

V.

Appendix.

**Quaenam videatur possibilis et aequa
partium litigantium compositio.**

24. Quamvis quaestio haec ad nos non spectet, nec a Monialibus eius solutio pendeat; nihilominus tum ipsae tum Schola quam longissime absunt ab *aequa* cum Lavallensi Succursali compositione reiicienda. Imo vero hanc maxime in votis habent, idque praecipue ut Sacrae Congregationi de Prop. Fide, eoque magis SS. morum Pontificum Pii IX et Leonis XIII, feliciter regnantis, Decretis, ea qua par est obedientia, morem gerant, *opem pro viribus* ferentes Lavallensi Succursali, dummodo id fiat servatis *iustitiae iuribus*. Quae salva et intacta certe manebunt, si modus inveniatur, quo *vita et prosperitas* cuiusque contrahentis serventur *absque ullius damno*. Hoc autem facile fieri posse arbitramur, si v. gr. (ut paucis dicam) res eodem revertantur, quo, *iubente Sanctae Sedis Legato*, adductae fuerant; ut scilicet Schola iterum in Succursalem Lavallensem convertatur. Nec sane *iniuria* novis paucisque iunioribus fieret Doctoribus, post illud tempus, a *solo* Univ. Lav. *Rectore*, veluti per clarigationem (*représailles*) accitis, violenter eiectionis antiquioribus. Illos etiam posset, si velit, inter *honorarios* vel *substitutos* annumerare, imo vero quosdam actu docentes suis locis relinquere, post Scholae Doctores. *Longe aequius* sane videtur id illis quam his proponere, ut factum est, quasi ad ludibrium! Praeter enim rationes allatas (n. 20) illi iuniores sunt aut veteres Scholae alumni, nullo ligantur contractu, nullo gravantur debito, nullum denique minerval (ut incipientes) aut percipiunt aut percipere ius habent prae longe antiquioribus magisque egentibus. Ac si qua forte, non quidem iniuria, sed animi aegritudine illi afficiantur, speque melioris conditionis priventur ad tempus; num haec comparanda Scholae dolori, damnis, iniuriae, dedecori?

25. Quod ad Moniales attinet, eas perquam libenter cuicumque libero partium contendentium foederi vel aequo pacto acquiescent,

ac magno animo utramque aut alterutram Facultatem excipient si paciscantur, et legitima Auctoritas pacta probet. Verum, quovis in casu, nulli e suis *iuribus* superius expositis (n. 23) cedere vel possunt vel debent. Inter quae nec Scholae *debitum* (100,000 fr.) omitti valet, quod condonare, est omnino earum *supra vires*, ut ecclesiasticae Auctoritati ita in comperto est, ut nihil magis. Num pauperum infirmorum ac religiosarum mulierum humeri, aere alieno iam maxime obaerati, tanto oneri subesse debent, quod ipsa Romana Decreta Episcopo et Dioecesi universae, fructum percipientibus, imponi iusserunt?

ipient si
quovis in
vel pos-
r.) omitti
ecclesia-
n paupe-
ieno iam
Romano
ibus, im-

mp

